Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

non una radicitus evulsa fuerit alia plantari non potest, sine causa
conatur aliquis ramos incidere, si radicem non contenderit evellere.

Quare fides et spes et scientia dicuntur evacuari et non caritas, cum et ea sit ex parte.

c. vii. Attendendum etiam est quomodo fides et spes
et scientia dicantur evacuari quia ex parte sunt, et non caritas, cum
et ipsa ex parte sit. Ex parte enim, id est imperfecte diligimus, sicut ex
parte scimus, ut ait Esicius super Leviticum. Cum ergo omne quod ex parte
est evacuetur, cur caritas excipitur quae dicitur numquam excidere? Ca-
ritas quidem etiam ex parte est, ut saepe sancti docent, quia ex parte dili-
gimus nunc. Et ideo ipsa evacuabitur in quantum ex parte est, quia tolle-
tur imperfectio et addetur perfectio, remanebitque ipsa aucta,
et actus eius et modus diligendi, ut diligas Dominum propter se et to-
to corde, et proximum sicut te. Sed imperfectionis modus elimina-
bitur. Fides vero et spes penitus evacuabuntur. Scientia vero secundum actum
et modum suum qui nunc est, non secundum sui essentiam tolletur. Ipsa enim
virtus scientiae remanebit, sed alium tenebit usum et modum.

Si Christus ordinem caritatis praeceptum habuit.

c. viii. Nunc iam superest investigare, si Christus secundum quod homo ordinem dili-
gendi praeceptum servaverit. Quod si est, omnem hominem sicut se
dilexit. Omnibus ergo vitam optavit omnesque salvos fieri voluit,
sed non omnes salvi sunt, et ita non est factum quod optavit. Sed non est ignoran-
dum in eo fuisse caritatem iuxta modum patriae non viae, eumque
ordinem diligendi implesse quem servant in patria, non in via. Qui
enim in patria sunt, id est iam beatificati sunt, adeo iustitiae Dei addicti
sunt ut nihil eis placeat nisi quod Deo placet, ac per hoc illorum tantum
salutem volunt quos Deus salvari vult, eosque solos sicut se di-